



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XLVIII. De die æternitatis, & huius vitæ augustiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

fundè ad cor transirent, quomodo auderes vel semel conqueri? Nónne pro vita æterna, cuncta laboriosa sunt toleranda? Non est paruum quid, perdere aut lucrari regnum Dei. Leua igitur faciem tuam in cælum. Ecce ego, & omnes Sancti mei mecum, qui in hoc sæculo magnum habuère certamen, modò gaudent, modò consolantur, modò secuti sunt, modò requiescunt, & sine fine mecum in regno Patris mei permanebunt.

CAP. XLVIII.

De die æternitatis, & huius vite angustii.

O Supernæ ciuitatis mansio beatissima! *Apo. 21* O dies æternitatis clarissima: quam nox non obscurat, sed summa veritas semper irradiat, dies semper læta, semper secura, & nunquam statum mutans in contraria. O vtinam dies illa illuxisset, & cuncta hæc temporalia finem accepissent! Lucet quidem Sanctis perpetua claritate splendida, sed non nisi à longè

gè & per speculum peregrinantibus
in terra.

Job 7. 2 Norunt cæli ciues, quàm gaudiosa
sit illa: gemunt exules filij Eux, quòd
amara & tædiosa sit ista. Dies huius
temporis parui & mali, pleni dolori-
bus & angustis: vbi homo multis
peccatis inquinatur, multis passioni-
bus irretitur, multis timoribus strin-
gitur, multis curis distenditur, mul-
tis curiositatibus distrahiur, multis
vanitatibus implicatur, multis er-
roribus circumfunditur, multis labo-
ribus atteritur, tentationibus gra-
uatur, deliciis eneruatur, egestate
cruciatur.

Rom. 7. 3 O quando finis horum malorum:
Ps. 70. quando liberabor à misera seruitute
vitiatorum? quando memorabor Do-
mine tui solius? quando ad plenum
lætabor in te? Quando ero sine omni
impedimento in vera libertate, sine
omni grauamine mentis & corporis?
Quãdo erit pax solida, pax impertur-
babilis & secura, pax intus & foris,
pax ex omni parte firma? Iesu bone,
quando stabo ad videndum te? quan-
do contemplantur gloriam regni tui?
quan-

quando eris mihi omnia in omnibus?
 O quando ero tecum in regno tuo,
 quod præparasti dilectis tuis ab æter-
 no? Relictus sum pauper & exul in
 terra hostili, vbi bella quotidiana, &
 infortunia maxima.

4 Confolare exilium meum, mitiga
 dolorem meum, quia ad te suspirat
 omne desiderium meum. Nam onus
 mihi totum est, quidquid hic mundus
 offert ad solatium. Desidero te intimè
 frui, sed nequeo apprehendere. Opto
 inhærere cælestibus, sed deprimunt
 res temporales, & immortificatæ pas-
 siones. Mente omnibus rebus super-
 esse volo, carne autem inuitè subesse
 cogor. Sic ego homo infelix mecum *Rom. 7.*
 pugno, & factus sum mihi metipfi *et 8.*
 grauis, dum spiritus sursum, & caro
 quærit esse deorsum.

5 O quid intus patior, dum mente
 cælestia tracto, & mox carnalium tur-
 ba occurrit oranti! Deus meus, ne e- *Psal. 70*
 longeris à me, neque declines in ira à
 seruo tuo. Fulgura: coruscationem
 tuam, & dissipa eas: emitte sagittas
 tuas, & conturbentur omnes phanta-
 siæ inimici. Recollige sensus meos ad
 te:

te: fac me obliuisci omnium mundanorum: da citò abiicere, & contemnerè phantasmata vitiorum. Succurre mihi æterna Veritas, vt nulla me moueat vanitas. Adueni cælestis suauitas, & fugiat à facie tua omnis impuritas. Ignosce quoque mihi, & misericorditer indulge, quoties præter te aliud in oratione reuoluo. Confiteor etenim verè, quia valdè distractè me habere consueui. Nam ibi multoties non sum, vbi corporaliter sto aut sedeo: sed ibi magis sum, quò cogitationibus feror. Ibi sum, vbi cogitatio mea est. Ibi est frequenter cogitatio mea, vbi est quod amo. Hoc mihi citò occurrit quod naturaliter delectat, aut ex vsu placet.

Mat. 6. 6 Vnde tu Veritas apertè dixisti: Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Si cælum diligo, libenter de cælestibus penso. Si mundum amo, mundi felicitatibus congaudeo, & de aduersitatibus eius tristor. Si carnem diligo, quæ carnis sunt sæpè imaginor. Si spiritum amo, de spiritualibus cogitare delector. Quæcumque enim diligo, de his libenter loquor, & audio,

dio, atque talium imagines mecum ad domum reporto. Sed beatus ille homo, qui propter te Domine, omnibus creaturis licentiam abeundi tribuit: qui naturæ vim facit, & concupiscentias carnis feruore spiritus crucifigit: vt serenata conscientia, puram tibi orationem offerat, dignusque sit angelicis interesse choris, omnibus terrenis foris & intus exclusis. Matth. 19.

CAP. XLIX.

De desiderio æternæ vitæ, & quanta sint certantibus bona promissa.

FILI, cùm tibi desiderium æternæ beatitudinis desuper infundis, & de tabernaculo corporis exire concupiscis, vt claritatem meam sine vicissitudinis vmbra contemplari possis: dilata cor tuum, & omni desiderio hanc sanctam inspirationem suscipe. Redde amplissimas supernæ bonitati gratias, quæ tecum sic dignanter agit, clementer visitat, ardentem excitat,

cit,